

**DIE DECIMA TERTIA IUNII.  
DE SANCTO ANTONIO, ORDINIS  
MINORUM S. FRANCISCI. PATAVII IN  
DITIONE VENETA  
LEGENDA ALIA, SEU LIBER  
MIRACULORUM  
Chronicis Ordinis olim insertus, & ex  
Mss. erutus a R. P. Luca Waddingo.**

**CAPUT I.**

**Miraculis confusi & conversi hæretici.**

[1] [Prædicans ab omni natione intelligitur.] Gloriosissimus Pater, S. Antonius de Padua, unus de electis Sociis S. Francisci: quem idem sanctus Pater, propter vitam & prædicationis famam, suum Episcopum a appellabat; cum Romæ in Concilio, de mandato summi Pontificis, peregrinis innumerabilibus, qui illuc propter Indulgentias & Concilium convenerant, prædicaret (erant enim ibi Græci, Latini, Francigenæ, Theutonici, Sclavi, & Anglici, & aliarum linguarum diversarum) sic Spiritus sanctus linguam, ut quondam sanctorum Apostolorum, mirificavit; quod omnes, qui audiebant, non sine omnium admiratione ipsum clare intelligebant: & unusquisque audiebat linguam suam, in qua natus erat. Et tunc tam ardua & melliflua eructavit, quod omnes reddiderit stupore & admiratione suspensos: propter quod Papa ipsum, Arcam testamenti vocavit.

[2] Cum S. Antonius Arimini prædicaret, ubi hæreticorum magna copia morabatur; [Arimini nolentibus audire hæreticis,] contra eorum errores disputans, cupiebat eos ad lumen reducere veritatis. Ipsi vero, facti lapides per

obstinationem, illius sanctis eloquiis non solum non acquiescere, sed ipsa audire totaliter contempserunt. Sanctus vero Antonius, Deo inspirante, accessit quadam die ad os fluminis, juxta mare, constans in ripa quæ mari appropinquabat & flumini; incepitque modo prædicationis pisces ex parte Domini advocare, dicens: Audite verbum domini, pisces maris & fluminis, ex quo illud audire contemnunt hæretici infideles. [pisces ad concionem evocat;] Ecce statim accedit ante S. Antonium tanta magnorum & parvorum piscium multitudo, quod numquam tanta simul in illis partibus visa fuit: & omnes tenebant capita aliquantulum extra aquam. Vidisses ibi pisces magnos adhærere minoribus, [iisque magno numero & miro ordine dispositis,] & minores sub alis magnorum pacifice pertransire & etiam permanere. Vidisses ibi diversorum species, & quoslibet ad sibi similes currere, & quasi quemdam campum pictum, varietate colorum & figurarum mirabiliter decoratum, ante Sancti faciem ordinari. Vidisses ibi turmas piscium, magnorum & grandium, quasi castrorum acies ordinatas, loca ad prædicationem percipere. Vidisses ibi pisces mediocres, loca mediocria capere; & quasi doctos a Deo, absque truculentia in suis locis consistere. Vidisses ibi piscium parvulorum multitudinem copiosam, tamquam peregrinos ad Indulgentiam propinquare, & ad sanctum Patrem, tamquam ad tutorem, propinquiores accedere. Ita quod in ista prædicatione, cælitus ordinata, primo pisces minores, secundo mediocres, tertio ubi erat aqua profundior, pisces maximi, S. Antonio assistebant.

[3] Illis vero taliter ordinatis, incepit S. Antonius solenniter prædicare, dicens: Fratres mei, Pisces, multum tenemini pro vestro modulo referre gratias Creatori, qui in vestrum habitaculum dedit vobis tam nobile elementum, [verba facit ad laudem Creatoris:] ita ut aquas dulces & salsas, prout expedit, habeatis. Refugia insuper multiplicia contulit, ut evitetis incommoda

tempestatis. Exhibuit insuper elementum vobis diaphanum & limpidum, ut vias per quas incedatis, & escas plenius videatis. Ut etiam vivere possitis, idem Creator vobis escas necessarias administrat. Vos in creatione mundi, pro benedictione, a Deo multiplicationis præceptum habuistis. Vos in diluvio, ceteris animalibus extra arcam pereuntibus, absque læsione fuistis reservati. Vos alis ornati & virtute roborati, undique discurritis, prout libet. Vobis datum fuit ex imperio Jonam Prophetam Domini reservare, & illum post tertium diem reponere in terram. Vos censum Domino Jesu Christo, cum tamquam pauper non haberet unde staterem solveret, obtulistis. Vos, ante resurrectionem & post, fuistis in cibum æterni Regis. Propter quæ omnia multum tenemini laudare & benedicere Deum, a quo tot bona singularia præ ceteris animalibus recepistis.

[4] Ad hæc verba & similia hortamenta, aliqui pisces voces emittebant, aliqui aperiebant ora, & omnes capita inclinabant; signis quibus poterant, Altissimum collaudantes. Ad hanc reverentiam piscium exhilaratus in Spiritu sancto Antonius, [illi more suo plaudunt;] & voce altissima clamans, dicebat: Benedictus Deus æternus: quia magis honorant pisces aquatici Deum, quam homines hæretici: & melius audiunt bestię irrationabiles, quam homines in fide infideles. Quanto autem Antonius plus prædicabat, tanto piscium multitudo crescebat; & nulli locis suis quæ ceperant recedebant. Ad quod miraculum accurrens populus civitatis, accedentes etiam dicti hæretici, & videntes tam insolitum miraculum & merito admirandum; compuncti corde, omnes ad pedes S. Antonii, ut prædicationem illis faceret, consederunt. Tunc S. Antonius os suum aperiens, tam mirabiliter de fide Catholica prædicavit, [sequente plurium hæreticorum conversione.] quod omnes hæreticos ibi existentes convertit, & fideles roboratos in fide cum gaudio & benedictione remisit. Pisces etiam licentiam a S. Antonio,

quasi gaudentes, [petentes], cum vultibus & capitibus Sancto applaudentes, ad maris partes varias abierunt. Sanctus [autem] ibidem per dies plurimos prædicando, hæreticos convertendo, maximum fructum fecit.

[5] In partibus Tholosanis, cum Vir sanctus adversus quemdam hæreticum perfidissimum exhilaratus de salutifero Eucharistiæ Sacramento fortissime disputaret, ac ipsum convictum paene ad fidem convertisset; post multa hæreticus adjecit; Dimittamus, [Christi in Eucharistia præsentiam] inquit, verba, veniamus ad facta; Si tu, Antoni, per miracula poteris ostendere in conspectu omnium, quod ibi sit corpus Christi, abjurata omni hæresi, iugo fidei me submittam. Cumque Sanctus hoc se facturum confidentissime respondisset; ille subjunxit. Ego animal unum recludam per triduum, & famis inedia cruciabo; & post triduum educam illud in conspectu omnium qui aderunt, & ostendam illi paratas escas; & tu stabis cum illo, quod asseris corpus Christi. Si tantum famescens animal, relicto pabulo, festinaverit ad Deum illum, quem ab omni creatura asseris adorandum, Ecclesiasticæ fidei vere credam. Cui Sanctus vir assensum præbuit sine mora; & die præmissa fit concursus populi, [probat per mulum famelicum,] & in platea latissima congregatur. Adest ille hæreticus, suorum complicitum nequissima caterva stipatus, educens mulum, quem famis inedia cruciaverat, cum esca congruente. Celebrat ibidem in quadam capella S. Antonius: & post Missam in conspectu populi affert sanctissimum Christi corpus: & imperato silentio dixit ad mulum; In virtute ac nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, veraciter teneo; tibi dico, animal, & præcipio, ut confestim humiliter veniens, debitam reverentiam facias: quatenus ex hac noscat hæretica pravitas, quod omnis creatura suo subjicitur Creatori, quem Sacerdotalis dignitas tractat jugiter in altari. Interim vero mulo famelico cibus offertur. Mirabile certe! Nam animal tam fame cruciatum, in

conspectu Christi, [dimisso cibi ipsam adorantem,] post verba S. Antonii, cibum parvipendens, statim capite usque ad poplites inclinato, coram Sacramento vivifico genuflexit. Fit gaudium Catholicis, hæreticis non immerito confusis: & ille dictus hæreticus, juxta promissum, abjurata tamen omni hæresi, factus fidelis, mandatis Ecclesiæ obedivit.

[6] Contigit semel in partibus Italiæ, quod fuerit ab hæreticis invitatus. Quorum invitationem Sanctus accepit, ut eos posset a suis erroribus revocare, exemplo Christi, qui ex hoc cum publicanis & peccatoribus manducabat. Et quoniam præsumit sæva, conscientia perturbata; hæretici, [Ad venenatum cibum provocatus,] quos frequenter in sermonibus confundebat, maligna cogitantes, cibum venenosum & mortiferum coram S. Antonio posuerunt: quod sancto Spiritu fuit illico revelatum. Et cum eos super concepta malitia piis & pacificis exhortationibus increparet; ipsi hæretici mentientes, & patrem mendacii diabolum imitantes, dixerunt se non ob aliud hoc fecisse, nisi ut possent experiri illius verbi Evangelici veritatem, quo dicitur; Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. [Mar. 16, 18] Suadent ergo, cibum sumat appositum; promittentes, quod si sibi nil nocuerit, fidei Evangelii adhærebunt perpetuo; & si formidet cibum sumere, [eum sine noxa sumit,] falsitatem judicabunt in verbis Evangelicis contineri. At S. Antonius intrepidus, super cibum signum Crucis edidit; escamque manibus sumens, dixit eis: Hoc faciam, non ut Dei tentator, sed ut salutis vestræ & nostræ fidei Evangelicæ constans & intrepidus æmulator. Cibo ergo sumpto sanus apparuit, nec sensit in corpore aliquid nocumenti: quod videntes hæretici, ad fidem Catholicam sunt conversi.

## ANNOTATA

**Quamvis S. Franciscus obierit an. 1226, & S. Antonius eo anno primum absolvebat sua Theologica studia; potuit tamen hic, per intervalla concionando, eam apud Sanctum æstimationem collegisse citius, & Arelate etiam in Capitulo fuisse ab eodem apparente probatus.**

**Scilicet Marisiæ fl. ubi etiamnum ad rei memoriam extructum sacellum ipse vidi an. 1660 26 Novembr. sed mare, quod eo usque tunc affluebat, ut dicitur, nunc ad unum alterumve milliare distat, manente nihilominus navigationis pristinæ commoditate, propter amplitudinem fluminis. Addit Cardosus, ex fide dignorum relatione haberi, neminem istuc piscatum nunc prodire in festo S. Antonii, quin experientia docuerit tunc frustra laborari ibi piscando.**

**Simile miraculum dicitur Forolivii factum: nam Antonius Suarez Alcobaciensis Monachus, in suo Itinerario lib. 7 cap. 5 apud Cardosum, testatur in loco, ubi factum creditur, ipsum se pictum vidisse, cum hac epigraphe: D. Antonio olim hic prædicante Eucharistiæ Sacramentum, non pauci ad Christi fidem deducti. Cornegius illum tentatorem hæreticum Guialdum nominat.**

## **CAPUT II.**

### **Sancti miracula cum esset Custos Lemovicensis.**

**[7] Cum S. Antonius erat Custos Lemovicensis, in septimana sancta, [Lemovicis, simul in concione apud populum,] in nocte Cænæ, Lemovicis in ecclesia S. Patri de quadrivio, hora matutinali, seminabat ibidem congregatis populis verba vitæ. Fratres autem Minores in Conventu, illa eadem hora noctis media, matutinalis Officii laudes domino decantabant: Custos autem S. Antonius erat pro una Lectione legenda in matutinali Officio ordinatus. Dum ergo Fratres in Officio**

processissent usque ad Lectionem, quam S. Antonius erat lecturus; subito ipse in medio Chori apparuit, & Lectionem solenniter decantavit. Attoniti autem sunt non immerito Fratres, [simul in choro apparet cum Fratribus:] qui aderant; quia omnes, eum tunc esse in villa pro prædicatione, sciebant, Una etenim hora Dei virtus fecit eum esse cum Fratribus in choro, ubi Lectionem decantavit, qua lecta disparuit; & in ecclesia S. Petri cum populo, quibus vitæ semina seminavit: sed præsens in ecclesia, tamdiu tacuit coram populo, quandiu Lectionem continuavit in choro.

[8] Simile sibi contigisse in Monte-pessulano, legitur in quadam ejus Sancti Legenda, hoc modo: Tempore quo S. Antonius legebat, [Idem ipsi contigit in Monte-pessulano;] contigit eum prædicare semel in quodam festo solenni, ubi Clerus & populus aderat universus. Inchoato vero sermone, occurrit ejus memoriæ injunctum sibi quoddam officium, ex oblivione alteri minime commisisse. Nempe mos erat ibidem, in præcipuis festivitatibus, duos Fratres insignes in Missa Conventus decantare; tuncque Dei famulo hoc officium incumbere. Quo nimium ex hoc dolente, seque quasi dormire vellet super pulpitem inclinante, caput quoque confestim operiente, vir Dei eadem hora visus est in ecclesia Fratrum cantare Alleluia, [ut & S. Francisco in Capitulo Arelatensi.] per longam horam corpore in pulpito coram tanta multitudine persistente. Nulli ergo dubium, quod sicut Deus omnipotens, Doctorem sacrum, videlicet S. Ambrosium, exequiis S. Martini transferre voluit; & S. Patrem Franciscum Arelate ad Capitulum provinciale devexit, dum hic Sanctus de Crucis titulo prædicaret; sic venerabili huic viro mirifice contulit; demonstrans, quod eisdem Sanctis in meritis quodammodo sit æqualis. Officioque præmisso diligenter completo, in se illico rediens, prædicationem quam cœperat fuit egregie prosecutus.

[9] In Lemovicinio Custos existens, quidam Novitius, nomine Petrus, [insufflando liberat monachum a tentatione:] de egressu Ordinis graviter tentabatur. Tunc vir Dei, divina revelatione instructus, de grege sibi credito sollicitam curam gerens, viscerosius compatiens oviculæ oberranti; divino inflammatus Spiritu, in os dicti Novitii insufflavit, apertis sua manu faucibus, dicens: Accipe Spiritum. Mirabile certe! Statim ut juvenis Sancti Patris spiritum in se sensit, in terram subito corruens, spiritum exhalavit. Sed cum S. Antonius, astantibus Fratribus qui accurrerant, eum de terra manu propria elevaret; statim resumpto spiritu, se ad cœtus angelicos raptum fuisse asseruit, & mira Dei secreta ibi vidisse narravit. Sanctus autem, volens, non sibi, sed Dei potentiæ dictum miraculum attribuere; dixit dicto Novitio, ut de his quæ revelata fuerant, plura dicere non curaret. Ex tunc ab illo Fratre omnis tentatio recessit: immo, ut idem referebat, ex quo ex tunc vixit in Ordine, absque alicujus tentationis jaculo perduravit: & virtute ex alto indutus, in sancta conversatione proficiens, factus est aliis in exemplum.

[10] Eodem tempore, cum Pater beatus Deo duce ad Abbatiam de Solenniaco, Lemovicensis diœcesis, declinaret; [item alium, tunica suæ illum vestiendo.] quidam Monachus ejusdem monasterii, de carnis lubrico tentationem fuerat passus diutinam: contra cujus vexationem & improbum impulsum, quamvis jejuniis, vigiliis & orationibus corpus attereret, refrigerium non habebat. Deus nempe ejus curam & remedium S. Antonio reservabat. Cum ergo dictus Monachus sanctitatem S. Antonii perpendisset; accedens ad eum, & ei in Confessione omnia peccata sua & dictam tentationem detegens fidenter, ejus suffragium suppliciter & humiliter postulavit. At vir sanctus & pius, Monachum in partem trahens, & tunicam de dorso proprio exuens, ipsam periclitanti homini tradidit induendam. Qua induta, velut vi quadam infossa in tunica, & a corde & corpore

castissimo derivata, tanto puritatis ac munditiæ pondere æstus ille libidinis est repressus, ut ex tunc motus carnis dictum Monachum minime infestarent, sicut ille postmodum pluribus & pluries est testatus.

[11] [Mulieri cæpillos a viro zelotype evulsos,] In eadem patria erat quædam mulier, Fratibus multum devota; quæ pro eis aliquando emebat necessaria; & habebat virum Zelotypum, & insuper indevotum. Cumque quodam sero pro Fratrum necessitatibus diu stetisset, ita quod nocte veniret ad domum; maritus improperans dixit; Modo venis ab amatoribus tuis. Verum est, inquit, de Fratibus Minoribus, quos propter Deum diligo, & occasione istorum steti tantum. At ille, plenus ira, cepit illam per capillos; & in tantum traxit huc atque illuc, quod totam illam capillaturam & capillos evulsit. Quod ipsa videns, crines colligi fecit; & fide illuminata, capillos super auriculare posuit; eosque ibi disponens, caput super eos inclinavit: mane autem facto misit ad S. Antonium ut ad eam cito veniret, quia non erat sibi bene. Credens autem vir sanctus quod vellet confiteri, ad eam accedere festinavit. Et illa: Frater Antoni, ecce quantum passa sum pro Fratibus vestris. Et enarrato quod factum fuerat, in spiritu subjunxit; [ipsiusque amorem restituit.] Si, inquit, vultis Deum pro me orare, scio quod capillos Deus ut prius restituet mihi. Et Sanctus; Vade mulier, fecisti me ad hoc venire? Et recedens, fecit vocari Fratres, & enarravit eis quod mulieri contigerat, & quod etiam suppliciter postulabat: & ait: Oremus, Fratres; & respiciet Deus (ut spero) fidem suam. Et statim, Sancto orante, capilli ordinati mulieris capiti restituuntur ut prius. Redeunte autem viro mulier ostendendo caput, quod contigerat ei enarravit. Qui stupefactus, & a Deo respectus intrinsecus, suspicione & zelotypia totaliter recedente, obsequiosus Fratibus ex tunc multum efficitur & devotus.

[12] Cum vero Sanctus venisset Birnam, Lemovicensis diocesis; [Pro Fratribus laborantem] ibi primo locum Fratrum Minorum accepit; & in quadam crypta, a loco remota, cellam sibi construens; & in lapide fontem excavans, qui defluens ex rupe recipit stillas; ibi in magna austeritate vitæ solitarius contemplationi vacabat. Cum vero coquinarius non haberet quod pro coquina Fratribus præpararet; significavit sanctus cuidam dominæ sibi devotæ, rogando ut sibi de horto suo olera mitteret, quibus Fratres sibi subditos recrearet: tunc autem erat maxima inundatio pluviarum. Vocavit ergo domina famula, & illam blande alloquens, [a pluvia defendit.] rogavit ut ad hortum celeriter properaret, & necessaria pro facienda coquina Fratribus deportaret. Quod ancilla multum moleste tulit, allegans inundantiam pluviarum: ad hortum tamen, devicta suæ dominæ precibus, tandem accessit, & necessaria pro coquina Fratrum collegit, & ad locum Fratrum multum a villa distantem retulit: & tamen, licet pluvia numquam etiam per momentum cessavit, non fuit in aliqua parte sui corporis nec in vestibus madefacta. Ad dominam ergo suam siccis omnino vestibus rediens, retulit, quomodo continue pluebat, & tamen ipsam pluvia non tangebatur. Petrus autem de Birna, dictæ dominæ filius, Nobiliacensis Canonicus, istud miraculum quod a matre audierat, in laudem Sancti frequenter, cum exultatione & gaudio, referebat.

[13] Cum vero in eadem patria [esset], quodam sero post horam Completorii, [Diaboli illusionem revelat,] eo in oratione, ut erat, solitus occupato, aliqui Fratres, oratorio exeuntes, viderunt quemdam magnum campum cujusdam amici Fratrum plenum hominibus, qui campum videbantur totaliter dissipare, & spicas radicitus evellere. Condolentes damno tanti amici sui, ad virum Dei gradu concito concurrentes, damnum tanti amici Ordinis clamorosis vocibus retulerunt. Quibus vir Dei respondit: Sinite, Fratres, sinite, & ad orationem redite; quia iste

noster est adversarius, qui satagit nobis inquietam noctem dare, & ab oratione vestros animos perturbare. Firmiter enim scitote, quod campo devoti nostri hac vice damnum nullum vel destructio inferetur. Obediunt Fratres monitis sancti Patris, usque mane rei exitum præstolantes: mane autem facto campum undique conspicientes, viderunt eum ut prius, intactum penitus & illæsum: ex quo & fraudem diaboli cognoverunt, & devotionem Sancti & orationem ejus, ex cognita fraude dæmonum, in majori reverentia habuerunt.

[14] Cum semel apud S. Javanum Lemovicensis diocesis prædicaret; [& aliam prædicit.] & tanta esset congregata populi multitudo, quod non posset eam capere magnitudo ecclesiæ, oportuit virum Dei ad cujusdam plateæ declinare latitudinem cum multitudine populi congregata. Verum cum de lignis subito sibi locum præparassent, & vir Dei illum locum ascendisset, in principio dixit eis; Scio quod inimicus insultationem nobis faciet in sermone, sed non terreamur, quia ejus malitia nullum lædet. Parva mora substitit, & locus in quo stabat Sanctus cunctis admirantibus corruit, & nec sibi nec alicui aliquod intulit nocumentum: ex quo ad majorem viri Dei reverentiam fuit populus animatus, in quo videbant relucere spiritum prophetiæ, & præparato iterato loco omnes eum attentius audierunt.

[15] Cum semel Bituris in synodo prædicaret, ad Archiepiscopum verbum dirigens, fervore spiritus dixit; Tibi loquor, Cornute. [Archiepiscopum cum fructu redarguit.] Cœpit autem quædam vitia, quibus erat Archiepiscopus in conscientia sauciatus, tanto fervore & tam claris & solidis Scripturæ testimoniis detestari; quod subito cœpit Archiepiscopus ad compunctionem & lacrymas, & devotionem inexpertam hactenus, provocari. Finita autem synodo, ei humiliter in partem deducto,

conscientiæ vulnus aperuit; & ex tunc Deo & Fratibus devotior, in Dei servitio se studiosus occupavit.

[16] [Imbrem concioni importunum suspendit,] Cum semel Lemovicis populum ad prædicationem convocasset & tanta eset multitudo populi, quod angusta reputaretur quælibet ecclesia ad tantam multitudinem colligendam; ad quemdam locum spatiosum, ubi olim fuerant palatia Paganorum, qui locus dicitur Fovea de arenis, populum convocavit; ut ibi populus posset melius recipi, & congruentius verbis cælestibus informari. Dum vero Sanctus, in fervore maximo prædicans, populum verbis mellifluis ad attentius audiendum mente suspenderet; subito cæperunt audiri tonitrua, ignitæ coruscationes videri, [terra circumquaque perpluta.] & pluvia cæpit spargi. Sed cum populus, timens tempestatem & pluviam, cæpisset a loco moveri, & animo commoveri; vir Dei, eos blande confortans, ait: Non moveatis vos, nec de pluvia in aliquo timeatis; quia spero in eo, cujus spes non confundit, quod modo nobis pluvia non nocebit. Acquievit populus verbis viri Dei: & qui ligat aquas in nubibus, ipse Deus sic pluviam super eos retinuit, ut ubique circa civitatem abundantissime plueret, & tamen post verbum viri sancti nec unica gutta super populum caderet, qui audiendo divinis eloquiis intendebat. Cum vero continuato sermone per pausam magnam finem fecisset, & omnes surgentes, terram circumquaque abundantissime complutam, & locum in quo steterant sine madefactione cernerent; Dei in Sancto suo potentiam extollebant.

### CAPUT III.

**Alia Sancti miracula in Italia & Gallia; mortui suscitati, pueri necdum nati martyrium prædictum.**

[17] Semel S. Antonio prædicante, surrexit e populo quidam stultus, ipsum audientes in prædicatione

perturbans. [Stultum sanæ menti reddit:] Monitus autem per Sanctum dulciter ut taceret; respondit, quod non faceret, donec sibi traderet cordam suam. Sanctus vero solvens funiculum, dedit illi. Quem stultus amplexans & deosculans, sensum recuperavit & usum rationis: & cunctis mirantibus coram Sancto prostratus, pro sua curatione gratias agens, ad Deum glorificandum in servo suo totum populum excitavit.

[18] [scriptam a se epistolam] Cum vero sanctus Antonius in Padua prædicando. Confessiones audiendo, & spiritualia consilia dando, non modicum quodam tempore laborasset; pro spirituali quiete cupiens orationi & contemplationi vacare, scripsit Ministro quod sibi concederet, quod ad locum alium ad hoc idoneum valeret se transferre. Cum vero litteram scripsisset, & eam in studio dimisisset; accessit ad Guardianum & rogavit humiliter, ut sibi procuraret aliquem dictæ litteræ' portatorem. Quo invento, famulus Dei ad studium pro illa littera rediit; sed illam diligenter quæsitam, ubi eam dimiserat non invenit. Et cogitans quod forte, quia Deo non placebat quod de loco illo recederet, ideo littera non poterat inveniri; [ab Angelo perlatam miratur.] mutato proposito dixit Guardianum, quod litteram illam mittere non curabat. Mirabile dictu! Computatis diebus & completis, in quibus posset famulus, si missus fuisset a Ministro, redisse; S. Antonius recepit a Ministro de his quæ continebantur in supradicta littera, epistolam responsivam: quod videlicet ad postulatum locum moraturus posset, pro sua spirituali consolatione, transire. Credendum est rationabiliter, aliquem Angelum, in specie famuli, litteram illam Ministro detulisse; ut S. Antonio satisfaceret, & ejus petitionem esse Deo acceptam tali miraculo demonstraret.

[19] S. Antonius, de beneplacito S. Francisci, fuit primus studens in Theologia, cum Fratre Adam de a Marisco

Anglico, in Ordine per generale Capitulum ordinatus: & accesserunt ad Abbatem S. Andreae de Vercellis, qui tunc inter omnes Theologos excellentior habebatur, [Ab Abbate Vercellensi, cujus discipulus fuerat,] qui & libros S. Dionysii noviter ex Græco transtulerat in Latinum, & pulcherrime commentatus est: tunc enim de Mediolano Vercellas translatum fuerat studium generale. Abbas vero eos benigne recepit, & tantum in eis mentis elevatione profecit, ut idem Doctor Abbas diceret, se doctum ab indoctis, & cælestes hierarchias in eorum animabus realiter depinxisse. In illis autem quinque annis, quibus cum illo studuerunt in libris S. Dionysii, [valde laudatur ejus spiritus.] ad tantam mentis serenitatem & lumen sapientiæ pervenerunt, ut illas hierarchias, non tantum didicisse, sed percurrisse viderentur. Unde idem Venerabilis Abbas reddens testimonium de S. Antonio, Comment. cap. 3 particula ... sub littera V, sic dicit: Frequenter amor penetrat, ubi cognitio physica foris stat. Legimus enim quosdam sanctos Episcopos, minus imbutos fuisse physicis; qui, ut mysticam Theologiam captu mentis haurientes, cælos penetrabant, omnem physicam cognitionem subtilissime transcendentis, usque ad beatissimam Trinitatem. Quod & ego in sancto e Fratre Antonio, de Ordine Fratrum Minorum peculiari familiaritate expertus sum: qui cum esset minus imbutus litteris secularibus; animi puritate & mentis ardore succensus, mysticam theologiam captu mentis & ferventer desideravit & abundanter hausit; ut possim dicere de eo, quod scribitur de Joanne Baptista; Ipse erat lucerna ardens & lucens: quia enim amore ardebat interior, lucebat exterius. &c. [Joa. 5, 35.]

[20] Hic autem vir sanctus Legere non præsumpsit, quantumcumque rogatus a Fratribus, [Incipit ipse legere annuente S. Francisco.] nisi S. Francisci præhabita voluntate: cui tale in scriptis fertur dedisse responsum: Carissimo meo Fratri Antonio, Frater Franciscus salutem

in Christo. Placet mihi quod sacram Theologiam legas Fratribus, dummodo per hujusmodi studium spiritum non extinguas, sicut in Regula continetur. Vale. Et (ut aliqui ferunt) ipse S. Antonius, aliquando fuit S. Dominici socius, dum erant Canonici Regulares. Cum autem semel apud Paduam quemdam Abbatem Monachorum nigrorum prædicantem, & verba Pauli ad Dionysium commemorantem audiret, totus alteratus ex dulcedine verbi Dei, per magnum spatium temporis fuit raptus.

[21] [Psalterium furto sublatum, recuperat.] Cum autem apud Montem-pessulanum Fratribus legeret Theologiam; accidit quemdam Novitium ab Ordine recessisse, & secum nocte Psalterium glossatum magni valoris, cum quo famulus Domini docebat, furtive nihilominus detulisse. Hoc autem audiens vir Dei, nimis doluit; & tunc, oratione & divina virtute procurante, diabolus cum securi Novitio, per quemdam pontem fugienti & transeunti, obviavit terribiliter, dicens ei: Revertere ad servum Dei Antonium, & ad Ordinem tuum cum Psalterio; alioquin de mandato Dei te interficiam, & in fluvium te præcipitabo. Tremefactus ac stupefactus est Novitius: sed adhuc aliquantulum resistens, in tantum ad horam crevit diabolus, proceræ magnitudinis factus, nec non teter & horridus; ut Novitius, mox timore divino correptus, reverteretur ad virum Dei, offerens Psalterium, cognoscens culpam, Ordinem lacrymabiliter petiturus.

[22] Quadam autem die, cum S. Antonius veniret quamdam villam prædicationis causa, [puerum sub ferventi aqua servat illæsum:] mulier quædam tenebat filium suum circa caldariam iuxta ignem gratia balneandi; & audiens quod S. Antonius volebat prædicare, præ fervore audiendi quasi alienata, credens ipsum in pelvim ponere, ipsum in caldariam posuit; & præ festinantia oblita filii, currens ad prædicationem ipsum ibi dimisit. Audita vero prædicatione cum rediret ad domum,

interrogata a vicinis ubi erat filius suus; illa recordata quod ipsum juxta ignem reliquerat, timens ipsum combustum, evellere cœpit capillos, dilacerare faciem, & se miseram proclamare. Cumque festinanter, multis eam comitantibus, veniret ad domum; invenit parvulum in caldaria, ludentem cum aqua fervente & bulliente. Tunc omnes qui aderant, non immerito stupefacti, cum puer nullum signum haberet læsionis, vocem extollentes, Deo & Sancto gratiam reddiderunt.

[23] Cum etiam semel S. Antonius quoddam castrum causa prædicationis intrasset; ad ejus prædicationem quædam femina devota pervenit, filium suum in cunabulo derelinquens. Quæ post sermonem domum rediens, [alium defunctum resuscitat.] invenit filium mortuum jacere in cunabulo resupinum. Quæ de filii morte dolorosa, ad S. Antonium est reversa, eundem pro resuscitatione filii rogitando. Qui sibi condolens, confidenter bis & tertio dixit: Vade, quia benefaciet tibi Deus. Quæ credula verbis Sancti, domum rediens, vivum invenit filium, quem mortuum reliquerat; cum lapillis parvulis, quos antea nunquam habuerat, colludentem.

[24] [Conspicitur puerum Jesum in ulnis tenens:] Cum autem semel in quadam civitate S. Antonius prædicaret; fuit eum hospitatus quidam burgensis, qui ei assignavit quamdam cameram separatam, ut quietus contemplationis studio vacaret. Beato [autem] Antonio solo orante in camera, discurrebat burgensis per domos suas. Intuitus autem solícite ex devotione locum, ubi orabat S. Antonius; vidit per fenestram amplectentem latenter quemdam puerum, in brachiis S. Antonii, pulcherrimum & jucundum: quem Sanctus amplexabatur & osculabatur, indesinenter ejus faciem contemplando. Burgensis vero, stupefactus & alteratus de pulchritudine pueri illius, intra se, unde venisset ille tam gratus parvulus, cogitabat. Ille autem puer, Dominus Jesus, quod

ab illo burgensi videbatur, S. Antonio revelavit. Ideo S. Antonius, post longam orationem vocans burgensem, prohibuit ei, post recessum pueri, quamdiu ipse Sanctus viveret, quæ viderat revelare; tamen post mortem sancti Patris, dictam visionem idem burgensis sacro sanctis cum lacrymis revelavit.

[25] [peccata facit deleta videri:] In prædicatione S. Antonii quidam sic fuit de peccatis compunctus, quod nullum præ gemitibus poterat confiteri. Cui Sanctus: Vade, & omnia peccata tua, de quibus recordaberis, scribe in scedula; & statim porta mihi: Quod cum fecisset, omnia celeriter sunt deleta.

[26] [agnoscit dæmonem sub specie nuntii:] Cum semel in quadam solennitate S. Antonius in quadam ecclesia prædicaret; antiquus hostis, in specie cursoris intrans, detulit litteras cuidam Dominæ nobili, cujus filius habebat inimicitias speciales; & in illis litteris continebatur, quod dictus filius suus in tali loco per hostes suos fuerat trucidatus. Tunc S. Antonius, qui nihil de de illo corporalibus auribus [audierat], dixit statim: Non timeas, Domina, quia filius tuus vivit, & est sanus, & incolumis revertetur: & iste, qui modo venit, diabolus est; qui hoc fecit, ut prædicationem turbaret. Et statim ille velut fumus evanuit.

[27] Cum semel S. Antonius quamdam Dominam de Anicio prægnantem visitaret, [prægnanti prædicit Martyrem parituram;] & ipsa se & conceptum suum sibi recommendaret; post orationem ad eam reversus, ait sibi: Sta in bona spe & gaudio: nam Dominus dabit tibi filium, qui erit magnus in Ecclesia Dei, eritque Frater Minor & Martyr; & multos ad palmam martyrii sua prædicatione perducet. Peperit illa filium, qui fuit Philippus nominatus: ingreditur Ordinem Fratrum Minorum; & tandem, cum citra mare plurimum profecisset, nutu divino ex devotione

ultra mare transivit. Cum vero castrum Azoti fuisset proditionaliter traditum Saracenis, [quod impletur capta a Saracenis Azoto,] & omnes Christiani fere duo millia traditi fuissent in manus barbarorum, omnes capitali sententia fuerunt condemnati. Cum vero inter ipsos esset dictus Frater Philippus, obtinuit quod ultimus decapitaretur, ut omnes alios confortando Domino lucraretur. Omnes autem ex ejus verbis confortati, interrogati an vellent, fidem negando, mortem evadere, an stando in fide mortis supplicium experiri; unanimiter se velle tenere viam, quam Frater Philippus eligeret, responderunt. Tunc Frater Philippus, omnibus congregatis, facta efficaci & confortativa prædicatione, dixit: Carissimi Fratres, sitis constantes in fide: quia ista nocte, mihi Dominus revelavit, quod cum mille animabus sum per viam martyrii cæli gloriam ingressurus. Et sic [exhortans] omnes, & eorum Confessionem audiens, mortem pro Christi fide se eligere potius responderunt. Cumque sancti viri pro Christi confessione decollarentur, [ipsoque cum 2000 quos animabat excarnificato.] & Frater Philippus continue prædicando in fide roboraret; Soldanus iratus sibi frustatim juncturas manuum fecit incidi. Qui cum nec ob hoc a prædicatione cessaret; fecit ipsum usque ad umbilicum excoriari. Sed eo ob hoc a confortatione Christianorum minime quiescente, linguam felicem sibi fecit incidi. Qui nihilominus elinguatus, fervore incæstimabili inflammatus, continue prædicavit; quousque fuerunt [omnes] per gladium consummati. Ultimo vero ipse, amoto caputio cum devotione maxima, decollatus, palmam gloriosi martyrii reportavit. Cum autem per quatuor dies Sanctorum corpora inhumata jacerent, venit Soldanus ad locum; & ipsa sine aliquo fœtore, non sine admiratione, reperit incorrupta. Ex quibus liquido claret, quanta certitudine viguit jam completa S. Antonii Prophetia.

## ANNOTATA

Paciecus notat esse qui putant, hinc datam occasionem invocandi Sancti ad recuperationem rerum amissarum: sed ipse verosimilius censet crebris post mortem hoc in genere miraculis potius id adscribendum.

Hinc paßim imago pingitur tenentis manu librum, in signum doctrinæ, ac super eo puerum lesum, brachia ad amplexus pandentem.

Azoti Castrum appellat Antoninus, ubi nostrum ecgraphum corrupte legit Cisoti, non in Idumæa, ut Arturus in Martyrologio Franc. ad 6 Martii, sed in Palæstina situm oppidum, & quidem marinum versus Ascalonem, occupatum a Christianis an. 1101, amissum cum reliqua Terra-sancta circa finem seculi 13, fortassis an. 1289 uti vult Waddingus, quo & Martyrium hujus Philippi ille refert: diem vero suo arbitratu legit Arturus, quare satis habuimus ipsius inter Prætermissos meminisse, maxime quod nullum detur indicium alicujus cultus ipsi uspiam delati.

Zanutus, Secretorum Terræ-sanctæ lib. 3 part. 13 cap. 20, Soldanum Babylonicæ an. 1288 Melec-messor appellat, qui 17 Martii venit ante Tripolim. Syriæ: sed vix est credibile tunc adhuc aliquid superfuisse Christianis in tota Palæstina, quando in Syria solum ipsis tria loca supererant.

#### CAPUT IV.

##### Acta post reditum ex Gallia usque ad sanctum obitum Antonii.

[28] Cum vero postea a Custodiatu Lemovicensi exoneratus, [Scyphum vitreum fractum;] de Lemovicio versus Italiam tendens cum socio, per Provinciam Proventiæ transiret; in quodam loco parvo quædam mulier, eis fama afflictis compatiens, ipsos Dei amore in

suum hospitium introduxit. Illa ergo mulier, quasi altera Martha sollicita, panem & vinum mensæ apposuit, & a quadam vicina sua scyphum vitreum mutuavit. Sed Deus, facere volens cum tentatione proventum, permisit quod mulier illa, de dolio vinum extrahens pro Fratibus, incaute dolii clepsydrum dereliquit apertam, & vinum per pavementum totum fuit effusum. Socius etiam S. Antonii, inepte scyphum accipiens, eum ad mensam sic collisit, quod pes ad unam partem, & cuppa integra ad aliam partem remansit. Circa finem ergo prandii, cum mulier vinum recens vellet Fratibus propinare; intrans cellarium, vinum invenit esse totum per pavementum effusam. Rediit autem ad Fratres flens amarissime, [precibus redintegrat,] & pro vini perditione supra modum afflicta. Quod cum beato Antonio revelasset; Sanctus multum sibi compatiens, caput suum supra mensam inter palmas reclinans, oravit Dominum cum fervore. Et dum mulier eum sic orantem respiceret (quod est dictu mirabile) dictus scyphus vitreus, qui erat ex una parte mensæ, super pedem qui erat ex altera, motu proprio seu potius impulsu divino se locavit. Quod videns mulier & stupens, celeriter scyphum accepit; & scyphum fortiter concutiens, reintegratum virtute orationis conspexit. Credens ergo mulier, quod virtus quæ scyphum reintegraverat, poterat vinum deperditum restaurare; [& effusum vinum dolio suo restituit.] gradu propero ad cellarium properat, & dolium quod vix ante erat bene medium, sic plenum reperit, quod ad summitatem dolii vinum erat scaturiens & bulliens quasi novum. Quo viso fuit mulier supra modum gaudens & stupefacta: verum dum S. Antonius se sensit exauditum; statim a loco, veræ humilitatis Christi discipulus, ne ab aliis honoraretur, recessit.

[29] In Italia vero existens, prædicationi & confessionibus audiendis continue vacans, cum vice quadam de prædicatione rediens, [In Italia sanat, puerum contractum,] per iter solitudinis ambularet, ut redeuntis

multitudinis declinaret applausum; mulier quædam, & ipsa per compendium ambulans, ac Sanctum per devia quæque nimium requirendo laborans; filiolumque [portans] proprium, brachiis & cruribus a nativitate contractum, Sancto sibi obvio, projecit se ad pedes, obsecrans gemitibus lachrymosis, ut desolatæ matri compatiens, signaculo Crucis filium suum benedicere dignaretur: sperabat namque ipsa ex hoc filium perfectam consequi sanitatem. Quod Christi servus dum ex humilitate profunda facere declinaret, illa planctus exaggerans, & preces ingeminans, Domine, miserere mei, instantius, proclamabat. Vir utique pius, afflictæ matris & languentis prolis compassione commotus, exhortante nihilominus socio, viro bonitate famoso; ægrum, signo Crucis edito, in Christi nomine ac virtute benedixit. Mirabile dictu! Illico sanus puer surrexit; & quem mater tristis infirmum portaverat, virtute propria ambulantem, domum lætissima reportavit. Vir quoque Dei, non suis hoc meritis, sed fidei mulieris adscribens; rogavit quatenus, dum viveret, nemini propalaret.

[30] Puella quædam nomine Paduana, cum jam quatuor esset annorum, pedum gressu privata, more serpentium reptans incedebat; [& puellam insuper epilepticam.] ac morbo caduco laborans, volutabatur frequenter spumans, & ad terram se miserabiliter collidebat. Quam cum pater suus, Petrus nomine, semel gestaret ulnis; obvium habuit ex insperato S. Antonium, a quadam prædicatione, quam fecerat, redeuntem: quem cum magna devotione & confidentia rogavit, ut filiam suam Crucis signaculo consignaret. Cujus sinceram fidem beatus Pater conspiciens, ipsam a capite usque ad pedes in Trinitatis nomine consignavit. Quo facto, affuit illico miranda potentia Dei, quæ gressum firmum infirmæ præstitit, ita quod libere absque ullius adminiculo poterat ambulare: a morbo etiam caduco protinus eam sanam fecit.

[31] In civitate Paduans mulier quædam nobilis, dum Sanctum comitaretur Antonium, [Lapsa in lutum intactas servat vestes:] cum grandi multitudine populi, causa prædicationis ad campestria exeuntem; transitu cujusdam prati in lutum cecidit, pressura transeuntium impellente. Quæ in puncto sui casus, sibi ac vestibus pretiosis, quas de novo induerat, periculum imminere non dubitans, Deo & servo suo custodiendam atque tuendam se humiliter commendavit: formidabat nempe ferocis mariti indignationem incurrere, si domum fuisset reversa vestibus inquinatis. Affuit statim illi mulieri Sancti patrocinium, quod poscebat. Mirum certe! Intactis vestibus demum a luto progrediens, cunctis qui aderant & ipsius casum aspexerant mirantibus, & Deum ac Sanctum laudantibus, ad locum prædicationis læta nimis pervenit.

[32] Alia quædam mulier, virum Dei, foras exeuntem ad seminandum semen vivificum, [a procul absente concionari auditur:] sequi desiderans, a viro suo languente prohibita, remansit domi tristis & tabefacta. Quæ deambulans in solario domus suæ, per fenestram, quæ competens videbatur versus plagam illam, devote cæpit inspicere, in qua eadem hora S. Antonius prædicabat, ut aspectu saltem regionis gauderet, cujus fuerat sibi aditus denegatus. Mirabile dictu! Dum sic mulier suspensa mente respiceret; subito, illius operante virtute, cujus solius est justa desideria comprobare, Sancti vox prædicantis auribus ejus insonuit: cujus mira sanctitate & suavitate detenta, dum in fenestra horam traheret, ipsa viro ex hoc increpanti respondit; Audio Fratrem Antonium prædicantem. Quam cum ille verbo pariter & animo derideret; sciens a duobus milliaribus, quibus distabat prædicationis locus, vocem hominis audiri non posse; illa autem muliere hoc certitudinaliter asserente, ascendit homo ille ad eandem fenestram, ut quod uxor affirmabat valeret experiri. Et ex tunc famulo

**Dei amicitia peculiari cohærens, devotionem conjugis ex tunc non impedivit.**

**[33] Contigit frequenter, quod vir Dei Antonius, anhelans ad animarum salutem, remedia quæ poterat peccatoribus, ut a peccato recederent, adhibebat. Immo, quod est mirabile, [efficaciter excitat ad pœnitentiam;] multis personis de nocte dormientibus apparebat; & vocans ipsos nomine (ut narrabant Fratribus) hæc addebat: Surge: Vade ad talem Fratrem, vel ad talem Sacerdotem, & confitere sibi tale peccatum, tali tempore per te in tali loco commissum: quod tamen nemo alius noverat nisi Deus. Et sic per viam istam multa peccata, quæ præ verecundia nullo modo audebant confiteri, sacramentali Confessione fuerunt expiata.**

**[34] Contigit autem semel, quod quidam de Padua, Leonardus nomine, [cujus excessu rescissum pedem] viro Dei inter alia peccata confessus est, quod pede percusserat matrem suam, sic quod ad terram ceciderat ex enormi impulsu. Quod vir Dei horrens, in fervore spiritus ipsum redarguens, inter alia verba reprehensionis dixit: Pes, qui percutit patrem aut matrem, deberet protinus amputari. Hoc autem vir simplex non recte intelligens, & propter culpam & Sancti exasperationem tristis effectus; domum concite rediit, pedemque proprium illico mutilavit. Rumor vero tanti piaculi statim totam civitatem perlustrans, ad aures matris Leonardi pervenit; quæ cum festinatione domum rediens, & filium sic mutilatum videns, cum causam didicisset; ivit ad Fratres, vociferando: de Fratre Antonio conqueritur, qui filium suum interfecerat ob hanc causam. Sanctus autem eam excusando, se legitime excusavit: & mox ad ipsum perveniens, oratione præmissa, anxia & devota, [oratione restituit.] pedem conjungens tibiæ, facto pariter signo Crucis, sacris manibus aliquamdiu desuper liniens, statim pes ita insertus & consolidatus est tibiæ. Et idem surrexit**

homo alacer & incolumis, exultans & exiliens & laudans Deum.

[35] Erat vir quidam potens, sed crudelissimus tyrannus, nomine Eccelinus de Romano, Paduæ & locis circumstantibus tyrannizans; [Ezelinum tyrannum publice arguere ausus,] qui cum in principio suæ tyrannidis cædem hominum permaximam fecisset in Bononia, percipiens hoc intrepidus Pater Antonius, ad ipsum ire personaliter attentavit: quem videns his verbis aggreditur: O inimice Dei, tyranne sævissime, & rabide canis, quousque sanguinem Christianorum innoxium effundere non cessabis? Ecce manet sententia Dei super te, durissima & horrenda: multaque alia gravissima & aspera sibi dixit. Circumstantes vero satellites expectabant quod juberet eum, ut erat solitus, illico trucidari: sed aliter factum est, Deo disponente. Nam idem tyrannus, [supplicem sibi habet, propter fulgorem ex vultu promicantem;] ad viri hujus verba compunctus, atque omni feritate animi deposita, ut mansuetissimus agnus effectus, ad collum cingulo mox appenso, coram viro Dei prostratus, non sine omnium stupore, qui aderant, culpam suam humiliter dixit, emendationem juxta beneplacitum repromittens: postea suis complicibus stupentibus dixit; Viri commilitones, ne ex hoc miremini: nam verissime dico vobis, quod vidi quemdam fulgorem divinum ex hujus Patris vultu procedere, qui me adeo terruit, ut ad ipsius visionem terribilem in profundum inferni putarem subito me demergi. Et ex tunc in magna devotione illum habuit, & quantum vixit Sanctus, a multis malis quæ fecisset, ut fatebatur ipsemet postea, se retraxit.

[36] Cum vero vir sanctus frequenter contra dicti tyranni crudelitates audacter prædicaret; ille volens viri Dei rectitudinem & justitiam callide experiri, xenium solemne per manus servorum suorum sibi misit; dicens eis; Istud,

quanto humiliter & devotius poteritis, Fratri Antonio præsentabitis ex parte mea; [oblatum ejus nomine munus recusat,] si autem illud receperit, statim illum interficietis: si vero cum indignatione repulerit, omnia cum patientia sustinentes revertimini, nihil sibi molestiæ inferendo. Cum vero illi ministri fraudulentum se coram ipso cum omni reverentia præsentassent; dixerunt, filius tuus Ecelinus de Romano tuis se orationibus recommendat, supplicando ut istud munusculum, quod tibi pro devotione mittit, recipias, & pro salute animæ suæ ad Dominum preces fundas. Sanctus autem Antonius, cum magna indignatione dicendo eis impropria, [& ab eo laudatur:] totum xenium repulit; de rapinis hominum se nihil velle recipere asserens: sed quod omnia eorum essent in perditione; & quod statim recederent, ne domus eorum pollueretur præsentia, exclamavit. Illi vero confusi reversi sunt ad tyrannum; cui cum omnia quæ contingerant enarrassent, dixit eis; Homo Dei est, dimittatis eum, dicat de cetero quod videtur sibi.

[37] [ad campum S. Petri recedit,] Cum ergo per totam illam Quadragesimam, & usque Pentecostem, pabulo verbi Dei cibasset populum Paduanum, quia instabat tempus messium, ut orationi & studio sacræ Scripturæ tempore vacationum commodius intenderet, transtulit se ad quemdam locum remotum, qui Campus dicitur S. Petri, in domo cujusdam qui erat amator Fratrum Minorum, quos etiam ibi suis propriis sumptibus sustentabat. [Hic] ipsum tamquam Angelum sibi a Deo missum cum magna devotione suscepit: & ad ejus instantiam, subter quamdam nucem, latam & frondosam, tres cellas de storiis fecit fieri: in quibus ipse, & duo socii sui perfectissimi, videlicet Frater Lucas & Frater Rogerius, quietius orationi & contemplationi vacarent. Post modicum vero corporeis viribus cœpit repente destitui; [& moritur apud Sanctimonialia] & ideo ad Conventum paduæ se portari præcepit; sed occurrentibus sibi

compluribus, vir humilis tales honores fugiens & applausus, ad locum Fratrum, monasterio Dominarum pauperum extra Paduam servientium, se contulit: ubi infirmitate crescente, post verba ædificationis & signa devotionis, anima illa sanctissima transivit ex hoc mundo ad Patrem. [an. æt. 36.] Fuerunt autem in universum anni totius vitæ S. Antonii triginta sex: vixit namque in domo paterna, annis quindecim; in monasterio S. Vincentii, duobus annis; in monasterio vero sanctæ Crucis de Colimbria, novem annis: postremo in Ordine S. Francisci, multis claris signis & miraculis, decem annos feliciter consummavit.

## ANNOTATA

Syphonem doliarem nusquam alibi reperi clepsydram dictam.

Huic simile alias patratum Waddingus an. 1231 num. 12 sic narrat: Concionante quandoque viro Dei ad sex milliaria extra urbem Podiensem; absoluto sermone, quidam viri fideles vinum & alia quædam ei miserunt. At vinum gustans matrona quædam, cum ejus palato non sederet, festina domum abiit, melius allatura. Qua in re tam fuit sollicita, ut vasis epistomium apertum relinqueret, manuque ferens vertibulum, sive partem illam qua epistomium obturatur, ad hominem Dei properaret: ad quem ut accessit: vidit in manu sua instrumentum illud, & sensit se non obturasse epistomium: moxque domum reversa, totum cellarium vidit vino perfusum. Confidens autem meritis sancti viri, in epistomio reposuit vertibulum: statimque dolium adeo est vino repletum ut abundaret.

Idem prorsus casus narratur in Vita S. Petri Martyris Ord. Prædic. 29 Aprilis num. 23, sed tacetur loci & juvenis nomen; ipse autem Sanctus accersitus ab illius patre fecisse dicitur, quod hic fecit mater. Cornegius huic

miraculo præmittit aliud de pœnitente, qui copia lacrymarum atque singultuum impeditus ab enuntiandis voce delictis suis, domumque remissus ut scripto consignaret peccata: quæ cum illi ex allata charta prælegisset Sanctus, reoque acerbius lacrymanti absolutionem dedisset, exhibuit ei ipsammet chartam, mundam totam, absque ullo litterarum priorum vestigio.

Aliis Ezelinus, fere ab initio seculi 13 tyrannidem excercebat Paduæ, Veronæ, & alibi, cognomen nactus a quodam agri Tarvisini vico, ubi natus fuerat; in obsidione Mediolani infeliciter obiit an. 1259, post annum 40 & amplius usurpatæ tyrannidis; prius tamen, id est anno 1256, amissa urbe Padua.

## CAPUT V.

### Varia Sancti post mortem miracula locis variis.

[38] [Ipsa obitus hora Abbati Vercell. apparens Sanctus,] Eodem autem die, quo S. Antonius migravit ex hac vita, famosissimus & in sacris Scripturis eruditissimus Abbas Vercellensis, erat in camera sua, divinis intentus meditationibus, solitarius: quem vir Sanctus, dum viveret, dilectione præcipua fuerat prosecutus, & frequenter mutuis divinæ Scripturæ colloquiis se pascebant. Unde idem Abbas, in quodam Commento suo, de ipso S. Antonio dicit ita: Frater Antonius, Ordinis fratrum Minorum, de puræ theologiæ sensu mystico hausit plenissime, Dei gratia illustratus. Cum ergo Abbas sic solus moraretur; eadem hora qua obiit, famulus Domini ad eum solus ingrediens, post mutuam salutationem benevolam vir Sanctus adjecit; Ecce, [in patriam ire se ait, eumque ab angina liberat.] Domine Abbas, quod relicto asello meo Paduæ, vado ad patriam festinanter: & confestim, cum Abbatem in gutture, ubi tunc graviter patiebatur, familiaris tetigisset, & continuo ab ægritudine liberasset; exiens foras, disparuit. Ille vero

Abbas, considerans quod forte ad nativam patriam, scilicet Hispaniam, pergeret; ejus decessum totaliter ignorans, ut ipsum saltem aliquantulum retineret, surrexit; & ipsum extra non inveniens, obviis monasterii servientibus, ubi esset Frater Antonius anxie requirebat. Quibus respondentibus, ipsum non venisse, & ubi esset se penitus ignorare; ille firmiter asseruit, se modo illum vidisse, & sibi talia dixisse, & ipsum Sanctum miraculose curasse, & subito exivisse, Missum est statim ad locum Fratrum, qui erant in illa villa, si forte ipsum vidissent! & eo non invento, præfatus Abbas ad cor rediens, certissime intellexit, beatum Patrem, per mortis excessum, ad patriæ cælestis convivium feliciter perrexisse: & notans tempus diligenter, postmodum reperit liquido, eadem hora qua sibi apparuit, ipsum ex hac vita migrasse.

[39] [Canonizatur ut Doctor Ecclesiæ,] Ab illo ergo die, divinæ faciei super radiante respectu, continue cœperunt exuberare miracula, fieri prodigia, & signa mirifica perpetrari: quæ ad aures Domini Papæ Gregorii Noni perlata, per solennes Paduanorum nuntios, prævia examinatione & deliberatione matura, in die Pentecostes idem Papa, cum indicibili solemnitate, lectis prius coram Prælatorum & populorum multitudine miraculis, & ab omnibus approbatis, & in Trinitatis nomine sibi signo Crucis impresso, beatum Patrem Antonium adscripsit Catalogo Sanctorum, die sui obitus, Junii decima tertia [anniversarie colendum]: deinde, post Te Deum Laudamus solenniter decantatum, alta voce cœpit illam de Doctoribus Antiphonam, O doctor optime, Ecclesiæ lumen: qua quidem cum toto Clero solenniter decantata, post Versiculum, Orationem propriam devotissime terminavit.

[40] [exultante Ulyssippone, licet rei ignara:] Et eodem die universus Ulyssiponensis populus, unde iste Sanctus fuerat oriundus, solemnitate maxima lætabatur: causam

tamen exultationis hujusmodi penitus ignorabant: nam de ejus Canonizatione pro illa die nihil penitus cogitabant. Immo quod mirabilius erat, ipsa tintinnabula ejusdem urbis nullo pulsante, per se ipsa sonitum dantia, ut ita loquar, tanti Patris gloriam suis civibus tollebant. Parvo autem interjecto tempore repertum est, quod eodiem die fuerat **Beatissimus Antonius Canonizationis gratia sublimatus.** Tantorum ergo miraculorum urbs memorata irradiata fulgoribus, altare majus ecclesiæ Cathedralis, in honorem ipsius **S. Antonii, honorifice dedicavit: cujus festum, signis sequentibus, annuatim ibidem solemniter celebratur.**

[41] In eadem Civitate Ulixbona, puerulus quidam, Parisius nomine, **S. Antonii linea parentelæ germanus, & filius sororis suæ, forte quinquennis, cum aliis pueris in mari ludens, [nepotem suum submersum resuscitat.] eversa navicula, solus natantibus aliis est submersus. Mater vero post tres horas accurrens. filium mortuum piscatoribus recepit. Pater vero volebat eum sepelire; mater vero clamabat, aut eum mecum dimitte, aut sepeli me cum eo. Et conversa ad S. Antonium, dixit cum lacrymis: Frater mi, & si extraneis es pius & mirabilis, sorori tuæ crudelis eris? Esto mihi miseræ propitius, & mihi filium restitue: tibi enim promitto, quia ipsum in Ordine tuo divino servitio dedicabo. Mox puer surrexit incolumis; & matre votum implente, in Ordine sancte vixit & obiit.**

[42] Cum semel quidam de miraculis Sanctorum ad invicem colloquerentur, unusque eorum **S. Antonii prodigia multum extolleret; inter alia illud miraculum de vitro, per incredulum super lapides de alto projecto & non fracto, in medium recitavit. Quo quidem audito, [Ex vite arida vinum dat,] quidam alius quasi derisorie accepit scyphum vitreum vacuum; & vites aridas in manu tenens, dixit: Si S. Antonius de istis vitibus uvas nasci faceret, ut**

scyphus iste inde musto impleretur, hoc ego miraculum reputarem; & tunc ego crederem illi miraculo, quod nobis de scypho retulisti. Mirabile dictu! subito vites illæ virescunt, & virentibus foliis adornantur: demum uvæ nascuntur, florent, & maturantur; tandem ex eis vinum comprimitur, & vitreum vas totaliter impletur: quo viso miraculo stupefacti, de irrisoribus facti sunt laudatores.

[43] Regina Legionis magnam spem habens in S. Antonio, tenuit filiam undecim annorum, mortuam, [moribundam apparens sanat,] contra voluntatem Regis & Baronum, orans & dicens: Beate Antoni, fui de Patria tua, redde mihi filiam meam. Ad cuius devotionem surrexit filia, & matrem suam arguit, dicens: Parcat tibi Deus, mater: jam enim essem inter Virgines in gloria. Beatus Antonius tam instanter, ad prece vestras, Deum exoravit; quod me ad vitam restituens, ad vos misit: sed unum sciatis, quod Dominus mihi promisit, quod non starem vobiscum nisi per quindecim dies.

[44] [cæcum se fingentem revera cæcum reddit,] Cum S. Antonius Paduæ multis miraculis coruscaret; aliqui hæretici ejus prodigia deridentes, volentes publice prædicare quod essent ficta, venerunt Paduam; & bindam sanguine tinctam super oculos unius sociorum ligantes, coram tumultu alta voce clamabant; plorantes & dicentes, quod ille injuste fuerat excæcatus; & ideo populum rogabant, ut omnes pro illius illuminatione S. Antonio supplicarent. Cum autem sic per spatium horæ stetissent; cæpit, qui se finxerat cæcum, alta voce clamare, S. Antonius restituit mihi visum. Tunc socii accurrentes, & bindam amoventes, ut coram populo de ficto miraculo truffarentur; super bindam ambo oculi remanserunt; sicque delusi sunt qui erant delusores. Quo territi & corde compuncti, fraudem publice confitentes, post devotam orationem omnes lumen fidei, & ille lumen oculorum a S. Antonio meruit obtinere.

[45] [& similem irrisiōnem lepra punit:] Dum quidam leprosus, audiens famam miraculorum S. Antonii, se Paduam portari faceret; cuidam Militi hæretico obviavit, qui S. Antonii miraculis detrahens, dixit: Quo vadis, miser? lepra tua veniat super me, quando te Antonius poterit liberare. Leprosus vero confidenter se sub arca S. Antonii misit, & ejus suffragium devote imploravit. Cui dormienti S. Antonius apparuit dicens: Surge velociter, quia curatus es a lepra: & vade ad illum Militem, qui miracula mea deridebat, & defer illi scandellas, quia lepra tua ipse putrescit. Surgit pauper sanus, & vadit ad illum Militem, sua incredulitate leprosum: dixitque illi, S. Antonius mihi præcepit, ut tibi leproso meas scandellas portarem. Ille vero Miles compunctus, facto voto quod numquam sibi detraheret, fuit a lepra mundatus & curatus.

[46] Semel quidam Paduani quemdam Presbyterum occidendum in quadam via expectabant: [eædem meditatam impedit,] quibus visibiliter apparuit S. Antonius, dicens eis: Quare vos estis hic? Recedite cito. Qui responderunt: Immo tu, bone Frater, vade per viam tuam, quia nos hinc minime recedemus. Et cum Sanctus diceret, nec ego hinc recedam; dixerunt ei; Quis es tu, qui talia præcipis nobis? Respondit; Ego sum S. Antonius. Et statim illi territi ad terram ceciderunt, & Sanctus disparuit. Illi vero ad illum inimicum summa cum mansuetudine accesserunt; & visione recitata, pacem inter se firmaverunt: quod fuit per civitatem publice divulgatum.

[47] [item vindictam sumendam:] Quidam Miles, in quodam prælio vulneratus sic graviter, quod nullo medicorum remedio poterat liberari; voto facto ad S. Antonium, fuit statim sanitati pristinae restitutus. Sed curatus, gratiæ ingratus cogitavit, quomodo, ex quo erat curatus, poterat se optime vindicare. Sanctus vero

**Antonius sequenti nocte illum ad pristinam infirmitatem reduxit, & fuit ingratitude punita.**

**[48] [voti neglectum castigat,] Cum quidam Puer de Padua, Henricus nomine, collum habens inflatum, graviter torqueretur; facto voto a matre, quod sibi collum de cera ad sepulcrum deferret, statim fuit curatus. Sed matre votum dissimulante, iterum collum inflatur, & ille dolore nimio perurgetur. Mater vero reatus sui conscientia doluit, & promissum collum cereum ad Sanctum detulit, & statim puer sanatus fuit.**

**[49] [sanat mutum & surdum,] Abbas quidam, servo fideli, qui viginti annis steterat mutus & surdus, compatiens, vovit S. Antonio, quod si ipse eum sanitati restitueret, ad custodiendum ejus altare eum perpetuo sibi offerret: qui cum eum misisset ad ejus sepulcrum, statim consecutus fuit perfectam sanitatem, & ibi ad ecclesiam custodiendam remansit.**

**[50] Cum semel domina Aldonsia, filia dominæ Taraxiæ Reginæ Portugalliæ, tanta infirmitate gravatur, [Aldonsiæ regiæ puellæ moribundæ apparens,] quod a medicis relicta, de ejus vita nulla spes remaneret; Mater ejus Regina de ejus morte irremediabiliter vexabatur: unde conversa ad S. Antonium, cum multis lacrymis ipsum devote pro suffragio invocabat: Subvenias mihi, Pater sanctissime, quia tu de regno isto fuisti oriundus: & ora pro me Dominum, ut meæ filiæ concedat sanitatem. Aldonsia vero puella nocte media paululum obdormivit, & vidit S. Antonium dicentem sibi; Numquid agnoscis me? Ego, ait, sum S. Antonius, qui veni ad te, tuæ matris precibus invocatus: unde unum e duobus elige, vel debitum carnis exolvere, & Dominus dimittet tibi peccata tua, & pœnam debitam, sic quod hodie mecum eris in paradiso; vel cum matre adhuc in mundo remanere, [ipsam data vitæ vel mortis optione sanat.] & restituam**

tibi continuo sanitatem. Ipsa vero plus sanitatem corporalem diligens, fuit ibidem liberata: & accipiens cordam in visione, qua Sanctus cingebatur, cœpit matrem vociferando vocare, dicens: Domina, ecce hic est S. Antonius, qui me sanam fecit. Statim vero Regina, cum aliis dominabus accurrens, ipsam sanam inveniens, omnes Deo & S. Antonio gratias reddiderunt.

## ANNOTATA

**Binda fascia. Teut. Band, unde Binden religare.**

**Truffa, ludus, jocus: Teut. Trouf in lusu pictarum notus terminus, hinc Truffare, ludere.**

**Scandellæ. crepitaculum ex scandulis ligneis confectum, quali utuntur leprosi, ut ne propius quis eos accedat: quæ notio addi poterit ad alias a Cangi oporo ductas.**

## CAPUT VI.

**Æterna salus desperatis aut desperabundis curata, ipso & S. Francisco apparentibus.**

[53] In eodem regno Portugalliæ, in villa Sanctarenæ, erat tempore Regis Dionysii mulier quædam peccatrix, [Energumena persuasa a dæmone non posse salvari, nisi se occidat,] quæ magna devotione ferebatur ad S. Antonium, Hæc a diabolo obsessa, ut se ipsam interficeret tentabatur: & videbatur sibi, quod Christus loquebatur in corde, inspirando dicens: Misera, tu fecisti contra me tot iniqua, quod, nisi forte interficiendo te ipsam, non poteris salvari. Cum ista & similia interius suadendo eam non modicum conturbaret, volens eam vexare exterius, apparuit sibi dicens: Ego sum quem tu offendisti; si tamen vadas ad fluvium qui Tagus dicitur, & te ibi pro culparum satisfactione submergas, ego omnia

peccata tua remittam, & tibi gloriam æternam concedam. Cum ista frequenter apparendo dixisset, & semel vir suus [abesset]; delusa quadam die, tertia hora pergebat ad fluvium Tagum, ut de submersione diabolicam suggestionem impleret. [S. Antonio se commendat; & indormiscens] Et transiens ante ecclesiam Fratrum Minorum, ut se S. Antonio, cujus festum erat, recommendaret, in eandem intravit: & prostrata ante altare in capella S. Antonii, cum lacrymis oravit, dicens Sancte Antoni, in te semper fiduciam habui; supplico benignitati tuæ, ut mihi digneris revelare, si me ipsam submergere est Dei beneplacitum, vel totaliter abstinere.

[54] Dum autem sic oraret, dulciter obdormivit; & apparens sibi S. Antonius, dixit: Surge, mulier; & hanc custodi cedulam, per quam a vexatione dæmonis recipies sanitatem. Et surgens a somno, reperit in collo suo quamdam chartam de pergameno, in qua litteris aureis talia erant scripta: [accipit a Sancto apparente cedulam,] Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, radix David, Alleluia, Alleluia. Et tunc illam tentationem amisit, & quamdiu eam cedulam habuit, eam diabolus non vexavit. Sed cum Rex Dionysius ista viro referente audivit, cedulam prædictam habuit, & statim iterum diabolus eam mulierem invasit. Vir autem uxori compatiens, cum cedulam recuperare non posset; tandem, mediantibus Fratribus Minoribus, rescriptum cedulæ a Rege habuit; & datum mulieri, ipsam, ut principalis cedula, a vexatione dæmonum liberavit. Et devote cum lacrymosa contritione confessa, & ad Deum totaliter conversa, per viginti annos in sancta conversatione vivens, finivit in pace dies suos; [ad multa miracula efficax.] & Rex Dionysius illam chartam inter Reliquias suas posuit, cum qua, ad S. Antonii invocationem, multa miracula fuerunt perpetrata.

[55] In Castro regni Portugalliæ, quod Berta vocatur, erat mulier quædam, Sera nominata, [Ab adultero viro male habita mulier.] quæ ad Beatissimos Franciscum & Antonium singularem devotionem habebat. Vir autem ejus erat lubricus & iniquus; qui cum concubinis, relicta uxore, non solum nequam vitam ducebat; sed ipsam uxorem habens exosam, frequenter percutiebat & multipliciter affligebat: quo tantum uxoris crevit tristitia, quod desperata deliberavit, ut de tot angustiis evaderet, suspendio vitam finire. Et cum nocte quadam, viro absente, & aliis de familia dormientibus, funem disposuisset in camera, [dum sibi ipsi laqueum nectit,] & intra laqueum vellet collum ponere, & se ipsam instigante diabolo jugulare; ad ostium domus fuit pulsatum fortiter cum clamore. Tunc Domina statim funem abscondens, ad videndum quis pulsaret, accessit: & cum portam aperuisset, vidit duos Fratres Minores, qui eam, ut ipsos intra domum amore Dei reciperet, humiliter rogaverunt. Domina vero interrogavit eos unde erant, & quibus nominibus vocabantur. Qui cum respondissent, quod de longinquis partibus erant, & unus Franciscus & alter Antonius vocabatur; Intrate, inquit, [apparentibus ei Sanctis servatur,] amore Sanctorum Francisci & Antonii: & posita mensa dum comederent, sacris Dominam sermonibus refecerunt. Quibus illa in bonum alterata, proposuit, propter illorum reverentiam, non exequi illa nocte, quod sibi suggesserat de suspendio humani generis inimicus.

[56] [& maritus ad bonam frugem reducitur,] Intran Fratres cameram sibi pro somno assignatam: ingreditur mulier lectum suum: & eadem hora iidem Fratres viro suo apparuerunt dicentes: Nos sumus Sancti Franciscus & Antonius, ad te a Deo missi, tibi denuntiantes, quod nisi convertaris a via tua mala, & concubinis dimissis soli adhæreas uxori tuæ nobis devotæ, intra tres dies morieris, & in inferni barathrum demergeris. Nam uxor

tua hac nocte, tuis vexationibus tribulata; se per collum suspendisset; nisi nos ad ejus hospitium venissemus. Tu ergo vade ad eam, & in signum pete ab ea funem, quo se voluit jugulare. Territus, homo & subito excitatus, de peccatis conteritur: & mane surgens, venit ad domum suam. Surrexerat tunc ejus uxor: & non inventis Fratribus, sed lecto parato, [revelato ipsi suæ uxoris consilio.] ac si nullus in eo obdormivisset, erat non immerito stupefacta: quia unde exivissent, cum omnia essent clausa, non poterat cogitare. Tunc vir ejus superveniens, uxorem benigne salutavit, & ait: Carissima, ubi est chorda cum qua hac nocte te suffocare voluisti? Sed illa stante attonita, Benescio, inquit ille, qualem gratiam tibi fecerunt, & te & me a morte corporis & animæ Sancti Franciscus & Antonius liberaverunt, quos tu nocte ista præterita hospicio recepisti. Confitetur illa liquido veritatem: & sua visione detecta, veniam petit humiliter ab uxore: & sic ambo in omni caritate & concordia diu viventes, pleni virtutum exercitiis, Sanctos Franciscum & Antonium pariter laudaverunt.

[57] Juxta castrum quod dicitur Turres-novæ, in vico qui dicitur Elbron, [In festo S. Antonii laborans] in regno Portugalliæ, erat quædam mulier conjugata; quæ dum in festo S. Antonii ad molendum triticum, de prædicto vico Elbron ad castrum de Turribus-novis, cum quadam puella properaret; ventus vehemens, a parte anteriori in ipsam irruens, saccum cum tritico, quem portabat in capite, in terram projecit, & eam fecit cadere resupinam. Et continuo adfuit quidam juvenis facie præclarus, qui animam illius accipiens, cœpit eam ducere secum. Et primo duxit eam per campum quemdam latissimum, [alienatur a sensibus:] quo ad quemdam puteum pervenerunt, horribilem & tenebrosam valde, ex cujus ore flammæ horribiles ascendere usque ad cælum videbantur: fumus etiam depressissimus, niger & fœtidus, inde exhalabat; & audiebantur ex intus tortorum &

torquentium rugitus & clamores validi, planctus quoque, ploratus & ululatus magnus in eodem barathro personabant. [& monstratis sibi ab Angelo pœnis inferni,] Et intro mulier illa cum tremore respiciens, vidit diversa genera hominum, & diversa officia in quibus deliquerant, diversimode a dæmonibus cruciari. Nam mercatores fraudulentum, bursas ignitas in collo deferebant; usurarii vero, ardenti pecunia a dæmonibus cibabantur; raptores, adulteri, homicidæ, falsi testes, iudices, ceteri peccatores pœnis competentibus torquebantur. Tunc ipsa interrogavit juvenem ductorem suum, quis erat ille locus? Qui respondit, quod erat puteus infernalis.

[58] Post hæc mulier illa deducitur ad locum alium, delectabilem & amœnum; pulcra herbarum varietate depictum, cunctorumque florum & fructuum generibus adornatum; in quo vidit quoddam tentorium magnum, altissimum, miræ magnitudinis collocatum: ex quo quidam homines clarissimi, mira vestium varietate ornati, coronas gestantes in capitibus, [ac gloria paradisi,] bini & bini processionaliter procedebant: in fine vero erat unus quasi sponsus, mirabili ornatu decorus, cui totus ille processionalis honor attribui videbatur. Interrogatus ille juvenis a muliere illa, quis esset ille locus, & quæ essent illi, quos viderat cum tanto ornatu & pulchro ordine incedentes; respondit, locum illum esse requiem animarum, [discit festum Sancti etiam in cælis agi,] & omnes illos esse salvatos; & ille ultimus, cum tanta pompa procedens, esse S. Antonium, cujus festum, sicut in terris sic colebatur, & multo excellentius a Sanctis in cælis: & in solemnitatibus aliorum Sanctorum, alii vicissim solemnizant similiter. Et ideo, ait juvenis, huc deducta es, & ista vidisti; ut in Sanctorum festivitibus ab opere servili abstineas, [illudque religiosius servare.] & Sanctis debitam reverentiam exhibeas, præcipue a malis operibus abstinendo. Dum anima autem istius mulieris sic ducebatur, corpus ejus ad castrum prædictum ad

sepeliendum a populo est portatum, quia totaliter mortuum videbatur. Et dum sepulturæ locus pararetur, cunctis cernentibus ac stupentibus & territis, mulier illa surrexit; & primo coram illis, postea coram aliis multis, & me qui ista scripsi, seriem retulit præfatæ visionis.

[59] Circa annum Domini millesimum ducentesimum nonagesimum secundum, [Latrones Sancto prædicante conversi.] retulit quidam homo, multum senex, cuidam Fratri Minori, quod ipse S. Antonium viderat ; & cum latro & raptor esset, & de numero duodecim latronum qui in nemoribus habitabant, ad deprædandum & spoliandum quoslibet viatores; omnes duodecim, audita fama prædicationis S. Antonii, mutuo condixerunt, quod ad ejus prædicationem die aliqua, sub ignoto habitu, convenirent: non enim referentibus credere poterant, quod esset tantæ efficaciam verbum ejus, quod ardere, sicut alterius Eliæ, sicut facula videbatur. Quadam ergo die ipso prædicante veniunt; qui dum ejus ignita eloquia aliquantulum audissent, inceperunt de peccatis conteri & compungi; finito autem sermone, de suis peccatis & facinoribus sunt compuncti. Quos cum pius Pater de Confessione per ordinem audivisset; interdixit eis, ne ullo modo redirent ad scelera consueta; non redeuntibus promittens gaudia æterna, redeuntibus vero supplicia inaudita. Referebat etiam idem senex, quod aliqui de iis ad consueta flagitia redierunt, & vitam (sicut Sanctus prædixerat) celeriter inconfusibilibus suppliciis finierunt; non redeuntes autem, in pace & in Domino quieverunt. Illi autem seni Sanctus injunxit, quod duodecim vicibus Apostolorum limina visitaret; qui in duodecima rediens de Roma, hæc in via Fratri cum lacrymis referebat; expectans, juxta Sancti promissum, æternæ vitæ gaudia, post hujus cursum miseræ, adipisci.

## CAPUT VII.

## Miracula per testes coram Episcopo Paduæ confirmata, & alia nonnulla.

[60] [Frater lingua retorta mutus & surdus,] Quidam Conversus Monialium Paduæ, ætatis viginti quinque annorum, a nativitate surdus & mutus, cujus lingua erat modicum prominens extra guttur. & brevissima ad modum vitis torcularis retorta, sic quod videbatur intuenti bianda & rugeta; semel & secundo fuit spirituali visione inductus, ut ad S. Antonii suffragium se converteret toto corde. Qui rudis & bestialis, ignorans quid visio designaret; primo per domum, postea per plateas S. Antonium requirebat: tertio vero, eadem visione modo simili concitatus, ad S. Antonii ecclesiam perveniens, cum devotione qua potuit pernoctavit, & Sancti adjutorium frequenter invocavit. Post horam vero nonam, quadam luce divina circumfusus, subito & toto corpore sudore nimio superfusus, magnam commotionem sentire cœpit, [eadem rectificata loquendi accipit facultatem.] tam in capite quam in membris. Quid plura? Subito reducta est lingua ejus ad debitam quantitatem, & loquelæ recepit beneficium & auditus. Illico enim apertum est os ejus, Deum & S. Antonium pro tanto beneficio benedicens: &, quod erat mirabile, quadam nova lingua, sed plene intelligibili in illo comprehensa idiomate, loquebatur: nesciebat etiam nisi pauca vocabula, ad communem usum loquendi necessaria, sibi divinitus inspirata, quod ea ab hominibus non didicerat; admirantibus cunctis, qui eum mutum & surdum a nativitate referebant. Ad cujus miraculi novitatem utriusque sexus populi confluentes, juvenem, qui prius Petrus dicebatur, ratione prodigii, ex tunc censuerunt Antonium appellandum.

[61] [Ex curiositate dæmonem evocans] Quidam homo prope Paduam, volens quædam occulta scire per dæmones, quadam nocte in circulo incantationum se posuit cum quodam Clerico, qui per artem magicam

sciebat dæmones invocare. Cum ergo essem intra circulum, & dictus Clericus dæmones invocaret; advenerunt dæmones cum summo strepitu & rugitu. Et cum homo ille territus nesciret dæmonibus respondere aliquid, subita linguam ejus totaliter evellentes, & oculos de capite eruerunt. Cum autem fauces aperiret, nullum linguæ vestigium apparebat: & in loco, [fit cæcus & mutus:] ubi prius fuerant oculi, erat suffossio nimia & profunda. Cum ergo dolore cordis propter culpam & pœnam vexaretur, & non posset peccatum confiteri; ad S. Antonii suffragium invocandum totaliter se convertit. Et cum in Conventu multis diebus ac noctibus orando permansisset, & Fratres in Missa, [sed a Sancto sub Missa curatur.] Benedictus qui venit in nomine Domini, decantarent, & a Sacerdote corpus Domini elevaretur; novi fuerunt sibi oculi in capite restituti. Congregati ad tantum miraculum quam plurimi, & una cum ipso orantes Deum, obsecrabant; ut qui S. Antonii meritis sibi oculos restituerat, & linguam reddere dignaretur. Dum vero Chorus, Agnus Dei cantando, Dona nobis pacem, finiret; Deus illico linguam sibi restituit & loquelam, qua S. Antonii magnalia extollebat.

[62] Frater quidam nomine Bernardinus, de Parma oriundus, ex nimia infirmitate duobus mensibus mutus existens, ad tantam debilitatem spirituum devenerat, [Ex humore præfocante mutus,] quod nec candelam poterat extinguere suo flatui applicatam. Et quamvis per medicos peritiores Lombardiæ, per ferrum candens, novies, suo gutturi & semel capiti appositum, ad ejus curationem fuerit laboratum; nullum remedium habuit, sed infirmitatis potius incrementum. Imminente ergo suffocationis periculo, ad S. Antonium Paduam adducitur; & ante arcam prostratus, Sancti suffragium postulabat devote. Et ibidem primo cœpit spuere, & insufflare fortiter, adhuc mutus. Continuans autem orationem, cum multis Fratribus & populi frequentia, [ad sepulcrum Sancti curatur:] qui

eidem ratione festi & miraculi assistebant; subito, emissa horribili sanie, loquelam recuperavit, & plenariam sanitatem: & in laudem Sancti prorumpens, etiam Antiphonam illam, Salve Regina &c. cum Ministro & Lectore, qui ad miraculum tantum concurrerant, lætis vocibus cantando perfecerunt.

[63] [in aqua suffocatus puer, illo invocato suscitatur:] Quidam puer viginti mensium, nomine Thomasinus, cujus parentes prope ecclesiam S. Antonii Paduæ morabantur, juxta quoddam vas aqua plenum incaute fuerat derelictus. Cum vero dicta mulier domum rediret, videns pedes pueri supra vas aliquantulum prominentes, appropinquans cernit caput filii inferius in fundo vasis, pedibus superius elevatis: & cum ejulatu ipsum extrahit, jam defunctum & frigidum: quæ flens & clamans totam viciniam illico concitavit. Advenerunt ergo quam plures, & aliqui de Fratribus cum operariis, qui aliqua in ecclesia S. Antonii reparabant: & puerum videntes extinctum totaliter, compassi sunt matris doloribus lacrymosis. Mater vero ad S. Antonii merita se convertens, ejus auxilium clamorose invocando, vovit quod pondus pueri de tritico daret pauperibus, si ipsum S. Antonius a mortuis suscitaret: & post modicum puer resurgit, & vivus restituitur matri suæ.

[64] Mulier quædam Forliviensis diœcesis, Beatrix nomine, morbum periculosum quod narta dicitur, in cranio capitis radicum, in quantitate pugni, passa fuit decem annis. Quæ cum non posset invenire remedium peritissimorum ingenio medicorum; [mulier a gravi ulcere liberatur.] cœpit S. Antonii auxilium devotissime invocare; promittendo, quod si sanitatem sibi redderet, ejus altare filo argenteo circumiret. Et eadem nocte S. Antonius sibi dormienti apparuit, & (ut sibi videbatur) inflaturam illam, cum ejusdem patientis suavitate & complacentia, in quatuor partes divisit, & sic plenam restituit sanitatem.

**Disparuit itaque visio, sed non disparuit Sancti virtus. Post modicum, juxta quod visio demonstrarat, inflatura illa in partes quatuor dividitur; & magna sanie emissa, sanum & planum reliquit caput Dominæ, S. Antonii miracula prædicantis. Nam Paduam venit, & juxta votum tumulum Sancti filo argenteo circumcinxit**

**[65] Frater quidam, Cambius nomine, de Provincia Romanicæ, horribili ruptura, [Frater tacto sepulcro curatur ab hernia.] intestinorum inferius cadentium pondere, non obstante circulo ferreo appposito, irremediabiliter aggravatus, venit in die S. Antonii Paduam, ut ejus auxilium imploraret. Et quia, præ multitudine infirmorum pro remedio concurrentium, non poterat inter columnas tumuli se locare; manu sepulcrum tetigit, & ipsam post, intestinis cadentibus, cum magna confidentia, applicavit. Mirabile certe! Illico intestina ad locum proprium redierunt, & ruptura in qua erat non modica apertura, sic clauditur & consolidatur, quod, ut dicebat Frater Cambius, vix in fronte erat pars solidior, quam locus prædictæ aperturæ. Unde postmodum fortiter saltans, ad Sancti laudem dicebat: Non est diu quod talia facere non valebam.**

**[66] Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo; Cum Princeps Aquitanicæ Odoardus illustris, [Invitus ad bellum in Hispaniam abducendus,] magnam armatorum militiam congregaret in subsidium Petri Regis Castellæ, per Henricum fratrem suum illegitimum de regno ejecti & fugati; fuit præceptum ex parte dicti Domini Principis cuidam medico chirurgico, qui vocabatur Petrus, in civitate Burdegalæ commoranti, ut ejus aciem sequeretur, pro cura forsitan vulnerandorum; quod propter multa fuit eidem Petro gravissimum & amarum. Videns tamen ejusdem Principis firmatam voluntatem, cui resistere non audebat; cum ad S. Antonium specialem devotionem haberet; [idque ante sancti imaginem**

deprecans;] ad Conventum Fratrum Minorum Burdegalæ confidenter accessit; & ad ejus preces Frater quidam, in quadam capella, ubi erat quædam imago S. Antonii lignea sculpta, Missam de ipso celebravit. Quam cum devote idem Petrus audiret, intendens in ejusdem Sancti imaginem; cum magno fervore oravit, ut si prædicta via non erat ad utilitatem animæ suæ, S. Antonius ipsam misericorditer impediret; & si erat, ad hoc ipsius orantis voluntatem redderet inclinam.

[67] [ea abnuente assecuratur] Mirabile certe! Dum sic dicendo, imaginem attente respiceret, aspexit eam caput hinc inde agitantem, ad modum hominis negare aliquid innuentis. Qui admodum stupefactus, cogitans quod forsitan ex vehementi imaginatione & phantasie fumo verum, quod erat sophisticum, videbatur; omnes vires interiores recollegit, aspectum acuit, & sic attente imaginem respiciens dictam orationem resumit: & eo clare vidente, iterum imago lignea quasi abnegando, caput hinc inde agitavit. Et Petrus dicta Missa, secum mirans recessit; ignorans quid portentum hujusmodi designaret; utrum videlicet tali signo S. Antonius innueret, quod dictus Petrus cum dicta acie non procederet; vel, quod si faceret, esse utile animæ suæ designaret: & sic stupefactus & dubius ad domum propriam est reversus. Et post modicum nuntius venit ad eum ex parte Domini Principis, ut ad ejus præsentiam accederet sine mora. [se non iturum.] Accessit statim ad domum dicti Principis Petrus: cui obvians Senescalcus, dixit sibi: Estis vos paratus ire cum Domino Principe in Hispaniam, prout vobis injunxit? Cui Petrus timens respondit, Domine paratus sum facere in omnibus Domini Principis voluntatem. Cui Senescalcus subridendo, cum hilari vultu respondit; Vos bene dicitis, ut bonus & fidelis: & Dominus Princeps concedet vobis pro vestra consolatione, ut hic remaneatis, nisi receperitis aliud in mandatis. Ille vero cum gaudio ecclesiam Fratrum Minorum accessit, & S.

**Antonio gratias agens, coram aliquibus Fratribus supradicta narravit; & esse vera, litteris tactis sacrosanctis, juramento firmavit.**

**[68] Eo tempore quo Paduana Civitas erepta est de manu perfidi tyranni, prædicti Eccelini de Romano, manu Domini, ejus feralibus actibus finem dante; circumdante Legato Ecclesiæ & ejus exercitu obsidione continua dictam urbem, nocte S. Antonii, [Padua Pontifici recuperanda prædicatur in Octava Sancti,] cum Guardianus Fratrum Minorum de Padua, Frater Bartholomæus de Corradino, pernoctando ad sepulcrum ejusdem Sancti vigilaret, & pro liberatione dictæ urbis interim flagitaret precibus lacrymosis, de ipso mox tumulo vox talis insonuit multum clare: Frater Bartholomæe, ne timeas, neque contristeris adeo; quia in octava festivitatis meæ Paduana conquiretur civitas, libertate solita & immunitate pristina fruitura. Sicque factum est, Domino disponente. Hanc autem vocem plures Fratres, tunc in ecclesia vigilantes, [quæ exinde festivius colitur,] testati sunt se veraciter audivisse. Quod postmodum ad Paduanorum notitiam perveniens, decreverunt Octavam ipsius solennem, sicut festum, annis singulis cum immensa lætitia se facturos: quod quidem statutum usque modo, per Dei gratiam, diligentius observatur.**

**[69] [Dum anno 1263 in novam ecclesiam corpus transferendum refoditur,] Anno vero Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, postquam Deo placuit meritis ejus Sancti, de sub jugo Eccelini tyranni prædicti, qui ipsam depopulaverat, civitatem eripere Paduanam; ejus cives, ad Sanctum interiori devotione ferventes, prægrandem & solennem ecclesiam sibi construxerunt. Corpus autem sanctum transferre statuentes, cum in Octava Resurrectionis Dominicæ, ipsum, quod diu sub terra latuerat, effodissent; inventa est lingua ejus adeo recens, rubicunda & pulchra,**

quæ per viginti septem annos & amplius sub terra latuerat, quasi eadem hora Pater sanctissimus decessisset. Quam venerabilis vir, S. Frater Bonaventura, tunc Ordinis generalis Minister, postmodum Cardinalis & Episcopus Albanensis, [invenitur lingua incorrupta.] qui præsens erat hujus Translationis gaudiis, in manibus reverenter accipiens; irrigatus profluvio lacrymarum, affari eam cœpit devotissime verbis hujusmodi coram multis: O lingua benedicta, quæ semper Dominum benedixisti, & alios benedicere fecisti; nunc manifeste apparet, quanti existis meriti apud Deum; & infigans ei dulcia oscula & devota, jussit eam seorsum honorifice collocari.

[70] Tempore vero Domini Bonifacii Papæ octavi, [Imago in tribuna Lateranensi, expressa nequit aboleri.] reparata est tribuna Basilicæ Salvatoris de Roma in Laterano, quæ Episcopium nominatur: cui depingendæ opere mosaico deputati sunt duo Fratres Minores, in arte illa periti & non modicum experti. Designatis autem imaginibus, quas idem Papa ibi depingi mandaverat; videntes illi Fratres quod adhuc loca superaverant, in quibus aliæ imagines possent poni; proprio motu, vel forte divino instinctu, Beatorum Francisci & Antonii hinc inde depinxerunt. Quo ad ejusdem Domini Papæ delato notitiam, mandavit quibusdam Clericis, hoc sibi ex livore nuntiantibus, dicens; de imagine S. Francisci, postquam ibi est, æquanimiter toleramus; de Sancto vero Antonio de Padua hic facere quid habemus? Eatis ergo, & illius destruatim imaginem, & loco ejus S. Gregorii imaginem fieri faciatis. Qui accedentes, & unus post alium ascendentes, confessi sunt se ab una persona terribili, ibi eis visibiliter apparente, ab alto in terram dejici; & quasi in furiam versi, a concepto fuerunt impediti. Et (sicut dicti Fratres pictores referebant) quidam illorum statim, alii omnes infra breve tempus spiritum exhalarunt. Audiens hæc memoratus Papa, referentibus demandavit: Dimittatis,

**inquit, stare illum Sanctum sicut vult: quia, ut videmus expresse, possemus cum eo potius perdere quam lucrari.**

**[70] Fuit in Begio, Castro regni Portugalliæ, vir quidam Petrus Petri nomine, potens & dives, & Ordini Fratrum Minorum tanta dilectione adstrictus, [Apparent Sancti moribundo,] quod eis contulit ibi locum pro ædificatione Conventus, & pro ædificiis plura dedit. Cum autem esset infirmus gravissime, quadam nocte quatuor Fratres, cum multis aliis ejus camera vigilantes, ejus exitum præstolabantur. Tenebat ex devotione dictus Petrus habitum Fratrum, [eumque sanant,] cum quo elegerat sepeliri: & ecce duo Fratres Minores, unus ad ejus dexteram, & alius ad sinistram, sibi apparuerunt: cui unus eorum dixit: Petre, conoscis nos? Et ille: Cognosco vos esse Fratres Minores, sed non habeo notitiam personarum. Et ille: Ego sum S. Franciscus, & iste est S. Antonius: & propter devotionem quam ad nos semper habuisti, & beneficia quæ Fratribus nostris in isto Conventu exhibuisti, missi sumus ad te consolandum, [& habitum in quo postea moriatur benedicunt.] & de ista infirmitate curandum. Et tunc ille Petrus adorans, rogavit S. Franciscum, ut habitum, quem super se habebat, benedicere dignaretur: quo facto, ambo disparuerunt. Et ille tanta celeritate convaluit, quod omnes præsentis in stuporem convertit; & ex tunc duodecim annis supervixit, nullorum thesaurorum portans clavem, nisi scrinii in quo erat ille habitus benedictus, cum quo fuit mortuus & sepultus.**